


V 9  
3460





QK.199,11.

Vg  
3460

# DETERMI

NATIO THEOLOGICAE FA.

CULTATIS PARISIEN.

SVPER DOCTRINA

LVTHERIANA

hactenus per eam  
visa.

APOLOGIA PRO LVTHERO  
Aduersus Decretū Parisiensem

VVITTEMBERGAE.

AN. M. D. XXI

BIBLIOTHECA  
PUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SALE)



1111-06

DECANVS ET FACVLTAŠ THEOLO-  
giæ Generalis Scholæ Parisiensis omnibus Christifide-  
libus cum sincero catholicae ueritatis amore, Salutē.

**P**AVLVS ille uas electionis, Euangelicusq; tubicen,  
& gentium doctor, Timotheū instituens, ut curet se-  
ipsum operarium inconfusibilem & probatum exhi-  
bere deo, recteq; tractantem uerbum ueritatis, prophana hor-  
tatur & uaniloquia deuitare, quoniam hæc multum proficiunt  
ad impietatem. Nam si semel recepta fuerint mox serpet uene-  
num, & obsolescet catholicae doctrinae uigor. Siquidem hære-  
ticorum sermo si animos aliquando simpliciū occuparit, sem-  
per latius diffundetur, eosq; fallacibus errorū inuolucris, quasi  
tenaci uisco inuoluens, sensim a ueritate ad impietatem nimia  
deturbabit, & perinde ac cancer morbus serpet, qui ubi corpus  
uiuentis attigerit, non desinit paulatim uicinas occupare par-  
tes, donec intulerit exicium. Pleraq; huiusce rei exempla recen-  
sere perfacile est. Nam cum adhuc in adolescentia sua ecclesia  
Christi sponsa florere cœpisset, surrexere uiri mendaces & im-  
pii, qui a ueritate excidentes, fidem illius subuertere molirent,  
quales fuerunt, Hermogenes, Philetus, Hymeneus, & post illos  
Ebion, Marcion, Apelles, deinde Sabellius, Manicheus, Ar-  
rius. Senescente uero eadem & paulo ante tempora nostra, Val-  
do, Vuicleff, & Iohannes Husz. Hac etiam tempestate, de pro-  
genie illa uiperarum suborti sunt, prohdolor filii nequam, qui  
speciosæ matris nō habentis maculam neq; rugam unionis uin-  
culum schismatice discindere conantur, uere similes uiperulis.  
ut enim illæ corrosis matrum uisceribus non exeunt priusquā  
eas extinxerint, ita hi parentem Ecclesiam exitiali suorū dog-  
matum pestilentiq; ueneno, multiplici nouarū inuentionum  
foetura, dum iuuare uidentur & uenerari ( licet inextinguibile )  
potius tamen quantū in se est interimunt, non ferentes cū ipsi  
sint, & ancillæ filii, & illegittimi, immo diaboli genimina, ma-  
tris Ecclesiae liberos legitimosq; filios, nisi eos suis pestiferis do-  
ctrinis inficiant, & uenenatis iaculis contorqueant, satagentes

speciē matris ac decorē temerare & contaminare. Cuius tamen  
facies semper est & erit gratiarū plena, splendidissimūq; orna-  
tus. Ipsa enim ueluti regina a dextris sponsi sui in uestitu astat  
deaurato circumdata uarietate, legū, ceremoniarū, sacramen-  
torū, & bonorū omniū ad præsentē uitā futuramq; cōducen-  
tiū. Hinc uirulentis suis scriptis & sermonibus illam lacerare nō  
cessant, & pro uiribus deturpare satagunt. Inter quos unus uel  
præcipuus existit quidā Martinus Luther quantū ex scriptis cō-  
pluribus eius nomine diuulgatis coniectare licet, si modo titulo  
credendū est. Ipse enim pranominatorū hæreticorū dogmata  
(instar præuaricatoris Ahiel qui contra Iosue imprecationē re-  
ædificauit Hierico) instaurare studet & noua confingere, qui cū  
ad sobrietatē sapere minime didicerit, plus unus sapere præsu-  
mit quā cæteri omnes qui in ecclesia sunt aut fuerunt. Omnī  
nempe uniuersitatuū scholis suū ausus est præferre iudicium,  
priscorū quoq; uel sanctorū doctorū Ecclesiæ sententias con-  
temnit, & ut ad impietatis cumulū addat, sacrorū sanctiones  
conciliorū eneruare contendit, quasi scilicet ad fideiū salutem  
necessaria Luthero soli deus reseruarit, quæ præteritis sæculis  
nesciuit Ecclesia, & ad hæc usq; tempora in tenebris & errorum  
cæcitate suā sponsam Christus dimiserit. O impiam & inuere-  
cundā arrogantiam & uinculis, censuris, immo ignibus & flāmis  
coercendā potius quā ratione conuincendā! Nonne enim qui  
ita sentit & scribit prima fidei principia abnegat, & impietatem  
palam profitetur? Nonne impiū se prodit & infidelem quisq;  
orthodoxæ fidei, sanctis Ecclesiæ doctoribus, ac sacris conciliis  
credere dedignat? Is nempe cui credet qui catholicæ Ecclesiæ  
fidem habere detractat? Aut quomodo catholicis ascribet, qui  
Ecclesiā nō audit? cū ex ore ueritatis dictū sit. Si ecclesiā non au-  
dierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Porro ista est peculia-  
ris hæreticorū insania, ut scripturas pro uoto cōtorquentes sese  
eas solos credant intelligere, solos se ad ueritatem Euangelii pu-  
tent ambulare, solos se & quos falsa religione seducunt, salutē  
consequi arbitrent, nec cuiuscunq; doctoris quantumuis sancti  
aut eruditi, sed nec ipsius Ecclesiæ autoritatē suscipere uelint

contra eam quã semel sibi præfixerint scripturarum intelligentiam. Hoc comprobat insanus Montanus cum suis Prisca & Maximilla, sancti spiritus aduentũ in se completũ impiissime credens magis quã in Apostolis. Hoc & impius Manicheus, qui uanitate Luciferi seductus usq̃ adeo delirauit, ut se spiritũ sanctum a Christo missum assereret. Hoc item Secundinus eiusdẽ Manichei discipulus, qui Augustinum & catholicos ceteros errare confidenter asseuerans, quasi eidem condolens Augustino scripsit se non inuenire quidnam ante æterni iudicis tribunal positus, deserto Manicheo, respondere ualeret. Mos nempe iste est hæreticorum. At uero dum ecclesiam audire nolunt, nec ferunt suauĩ Christianæ disciplinæ iugo colla submittere, illudentibus sibi spiritibus mendacii & erroris, in manifestos corruunt errores, & pro fide execrandas profitentur blasphemias, quod Luther ipse seu author, quisquis est, opusculorũ illius editorum nomine, luce clarius demonstrat, qui dum Ecclesiæ & sanctorum patrum salutaria respuit documenta, & hæresiarcha factus est & uirulentus ueterum hæresum innouator. De libero namq; arbitrio differens Manicheos sequitur, de contritione & iis quæ eam præcedunt, Hussitas, Vuicleuistas uero de cõfessione. De Præceptis Begardos. Catharos de punitione hæreticorũ de immunitate ecclesiasticorũ & Euangelicis consiliis Waldenses & Bohemos. De iuramento consentit hæreticis qui se iactant de ordine Apostolorum. De obseruatione legalium Ebionitarum hæresi propinquat. Cæterum de sacramentali absolutione, satisfactione, præparatione ad Eucharistiam, scripturas non aduertens sed peruertens, item de peccatis, de pœnis purgatorii, de generalibus conciliis, nõ ferendos disseminat errores. Sed & de philosophiæ præclaris institutis perperã loquitur ignarus, sicut de potestate ecclesiastica, & de indulgenciis multa. Nec tam pestiferã doctrinã euomuisse contentus, librũ insuper edidit, si titulo creditur, cui de captiuitate Babylonica nomen indidit, usq̃ adeo uariis respersum erroribus, ut iure cũ Alchorano conferri mereat. In eo siquidẽ extinctas hæreses & funditus extirpatas, quarũ ne uestigia quidẽ ulla restabant, super his

praesertim quae ad sacramenta Ecclesiae spectant, suscitare, ac in lucem reuocare totis animi uiribus contendit. Scriptor quicumque is est Ecclesiae nimirum Christi hostis perniciosus & antiquarum blasphemiarum instaurator execratus. Bohemorum namque Albigensium, Valdensium, Heracleonitarum, Pepucianorum, Erianorum, Lamperianorum, Iouinianistarum, Artotyritarum, ceterorumque id genus monstrorum insaniam, per auctorem in eodem comprobant libro, commendant, extollunt. Quare nostrae professionis esse agnoscentes homini pullulantibus pestiferis erroribus magisque ac magis in dies excrescentibus toto conatu obuiare, quod tandem nobis de homini doctrina uisum sit plane aperire uoluimus, & nostram super ea sententiam Christianis omnibus publicare, ne, quod absit, eliminata iam pridem tam multiplex impietas quantum in nobis est, ulterius serpat, & doctrina fallax a patre mendacii exorta fidelem inficiat populum dei.

Sollicitius itaque per nos examinata ac maturius uniuersa doctrina Lutheriano ascripta nomini, & ad plenum discussa, execratis illam erroribus scaterere certo deprehendimus & iudicauimus, fide potissimum contingentibus & mores. Quodque simplicis populi seductiua sit, omnibus doctoribus iniuria, potestati Ecclesiae & ordini Hierarchico impie derogatiua, aperte schismatica sacrae scripturae aduersa, & eius deprauatiua, atque in spiritum sanctum blasphema, & ideo ueluti reipublicae Christianae perniciosam censemus omnino exterminandam ac palam ultricibus flammis committendam. Authorem uero ad publicam abiurationem modis omnibus iuridicis compellendum.

Vt autem id clarius cunctis innotescat, aliquot ex praefatis scriptis excerptas propositiones ordine quodam digessimus, & nostram cuique adiecimus censuram, patrum nostrorum morem imitati, qui alienus utique non est ab obseruata per Apostolos lege definiendi. Proposita namque de legali obseruatione dubio, quid sentirent, ipsi paucis explicuerunt, rationibus (cur ita definirerent) nullis scripto mandatis, quem modum quoque decernendi sacra consueuerunt tenere concilia. Materiae uero per nos discussae haec praesertim quas impraesentiarum edere constituimus, secundum suas inuicem connexiones sequenti monstrantur indice.

# INDEX MATERIARVM EX VARIIS

Lutheri libris excerptarum per Theologiae Vniuersitatis  
Parisiensium facultatem. Et primo ex libro de captiui-  
tate Babylonica.

De Sacramentis.  
De constitutionibus Ecclesiae.  
De operum aequalitate.  
De uotis.  
De diuina essentia.

## MATERIAE EX ALIIS EIVSDEM LVTHE- ri libris excerptae.

De Conceptione beatæ & gloriosæ uirginis.  
De contritione.  
De confessione.  
De absolutione.  
De satisfactione.  
De accedentibus ad Eucharistiam.  
De certitudine charitatis habitæ.  
De peccatis.  
De præceptis.  
De consiliis Euangelicis.  
De purgatorio.  
De Conciliis uniuersalibus Ecclesiae.  
De hæreticorum poena.  
De legalium cessatione.  
De bello aduersus Turcas.  
De immunitate Ecclesiasticorum.  
De libero arbitrio.  
De Philosophia & Theologia scholastica.



IS  
**PROPOSICIONES EX LIBRO LVTHE**

ri, qui de Captiuitate Babylonica inscribitur, collectæ,  
& per Theologorum Parisien̄ facultatem damnatæ.

Scribent̄ autē propositiones ipsæ maiusculis, &  
cōdemnationes minoribus characteribus.

**DE SACRAMENTIS.**

**RECENS** est inuentio sacramentorum.

Propositio.

Hæc propositio innuens recenter ab hominibus inuenta esse  
sacramenta & non a Christo instituta, est temeraria, impia, &  
manifeste hæretica.

I.

**SACRAMENTVM** ordinis Ecclesia Christi ignorat.

Hæc propositio est hæretica, & est error pauperum de Lug-  
duno, Albigenſium, & Vuicleuistarum.

II.

**OMNES** Christiani habent eandem potestatem in uerbo & sa-  
cramento quocunq;.

III.

**CLAVES** Ecclesiæ sunt omnibus communes.

III.

**OMNES** Christiani sunt sacerdotes.

V.

Quælibet harum trium propositionum est ordinis Hierar-  
chici destructiua & hæretica, & est error præfatorum hæretico-  
rum simul & Pepucianorum.

**CONFIRMATIO** & extrema unctio non sunt sacramenta a  
Christo instituta.

VI.

Hæc propositio est hæretica, & pro prima parte est error Al-  
bigensiu & Vicleuistarū, pro secūda uero Heracleonitarum.

**MISSA** passim creditur esse sacrificium quod offertur deo, in-  
de Christus hostia altaris dicitur. Sed Euangelium non finit  
missam esse sacrificium.

VII.

Hæc propositio quo ad secundā partē scilicet Sed Euange-  
lium &c. est impia, in sacrosanctū Euangeliū blasphema ac hæ-  
retica, prout uocabulo missa cum Gregorio utimur.

**MANIFESTVS** est error missam applicare seu offerre pro pec-  
catis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscunq; ne-  
cessitatibus suis aut aiorum.

VIII.

Hæc propositio est in Ecclesiâ catholicâ Christi sponsam contumeliosa & hæretica, & est Erianorum, hæreticorum, & Artotyritarum erroribus conformis.

IX. NON est dubium uniuersos hodie sacerdotes & monachos cû Episcopis & omnibus suis maioribus esse idolatras in statu periculosissimo agentes, ob missæ seu sacramenti ignorationem, abusionem, & irrisionem.

Hæc propositio est falsa, maxime scandalosa, uniuerso ecclesiastico statui contumeliosa, arroganter & stulte prolata. Et in eo quod prætendit neminem in statu salutis esse nisi qui huiusmodi erroribus acquiescit, cum Donatistarum, Ascitarum, & Apostolicorum perfidia conueniens, asserentium nõ nisi apud se remansisse ecclesiam dei.

X. CREDO firmiter panem esse corpus Christi, ait Luther.

Hæc credulitas Lutheri est absurda, hæretica, & olim dånata.

XI. NEGARE laicis utranq; speciem est impium & tyrannicum.

Hæc propositio est erronea, schismatica, impia, & ex damnato errore Bohemorum elicitâ.

XII. BOHEMI hæretici & schismatici non sunt nominandi, sed Romani.

Hæc propositio est falsa, perfidiæ Bohemicæ impie defensiva, & ecclesiæ Romanæ contumeliosa.

XIII. MATRIMONIUM non est sacramentum diuinitus institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum.

Hæc propositio est hæretica & olim damnata.

XIII. CONIUNCTIO uiri & mulieris tenet quocunq; modo contra leges hominum contigerit.

XV. DEBENT sacerdotes ea oia matrimonia confirmare q̄ contra ecclesiasticas uel p̄tificias leges fuerint cõtracta, in quibus Papa potest dispesare, & quæ nõ sunt in scriptura sacra expressæ.

Utraq; harũ propositionũ est falsa, ecclesiæ potestati impie derogatiua, & ex damnato Valdensiũ errore procedens.

XVI. TOTA efficacia sacramentorum nouæ legis est ipsa fides.

Hæc propositio est efficaciam sacramentorum nouæ legis impie derogatiua & hæretica.

**QUICQUID** credimus nos accepturos esse reuera accipimus, **XVII.**  
quicquid agat, nō agat, simulet aut iocetur minister.

Hæc propositio est absurda, & ex erroneo scripturæ intellectu asserta & hæretica.

**PERICVLOSVM** immo falsum est opinari pœnitentiã esse **XVIII.**  
secundam tabulam post naufragium.

Hæc propositio est temeraria erronee ac fatue asserta, ac beato Hieronymo illam ponenti iniuria.

**QVI** sponte confessus siue correptus ueniam petierit & emendauerit coram quouis priuatim fratre, non dubito a peccatis suis illum esse absolutum. **XIX.**

Hæc propositio innuens laicos tam uiros quã mulieres potestatem clauium habere, est falsa, sacramentis ordinis & pœnitentiæ contumeliosa & hæretica, cum errore conueniens Valdensium, & Quintillianorum

#### DE CONSTITVTIONIBVS ECCLESIAE.

**NEQVE** Papa neq; Episcopus neq; ullus hominũ habet ius **Propositio.**  
unius syllabæ constituendæ super Christianũ hominem, nisi id fiat eiusdẽ consensu, & quicquid aliter fit, tyrannico spiritu fit.

Hæc propositio est a debita subditorũ erga prælatos & superiores subiectione & obedientia retractiua, legũ positiuarum seditiose destructiua, ac in fide & moribus erronea, & est error damnatus Valdensium cũ errore Erianorũ conueniens.

#### DE OPERVM AEQUALITATE.

**OPERA** nihil sunt coram deo, aut omnia sunt æqualia, quã **Propositio.**  
tum ad meritum attinet.

Hæc propositio est falsa, sacris eloquiis aduersa, atq; errori Iouinianistarum conformis.

#### DE VOTIS.

**SVADENDVM** ut uota prorsus oĩa tollantur, aut uitentur. **Propositio.**  
**I.**

Hæc propositio est Christi doctrinæ & sanctorum patrũ obseruationi qui uouere consulunt, contraria, ex errore procedens Lamperianorum, Vuicleuistarum, & eorum qui se iactabant de ordine Apostolorum.

**II. PROBABILE** est uota hodie non ualere nisi ad operū iactantiam & præsumptionem.

Hæc propositio est falsa, statui religionis contumeliosa, & præfatis erroribus consona.

**DE DIVINA ESSENTIA ET FORMA**  
corporis humani.

**Propositio** **ISTIS** nouissimis trecentis annis multa perperam determinata sunt, quale est essentiam diuinam nec generari nec generare, & animam esse formam substantialem corporis humani.

Hæc propositio est falsa, ab homine q̄ alienus est a catholica ecclesia arroganter asserta, ac sacris cōciliis generalibus iniuria.

**PROPOSITIONES EXCERPTAE EX**

aliis Lutheri libris, damnatae ut præmissum est. Et primo  
de Conceptione beatæ Mariæ uirginis.

**Propositio. CONTRADICTIONARIA** huius propositionis, beata uirgo est concepta sine peccato originali, non est reprobata.

Hæc propositio est falsa, ignoranter, & impie contra honorem immaculatæ uirginis asserta.

**DE CONTRITIONE ET IIS QVAE**  
eam præcedunt.

**Propositio. LEGE** manifestata aut in memoriam reuocata mox sequitur  
**I.** argumentum peccati si gratia desit.

Hæc propositio loquendo de gratia gratum faciente, est falsa, a recta sacrae scripturae intelligentia aliena, & a meditatione diuinæ legis retractiua.

**II. LEX** ante charitatem nō operatur nisi iram & auget peccatū.

Hæc propositio est falsa, piarū aurium offensiuā, in deū & eius legem blasphema, nec intentioni Pauli conformis.

**III. OPERA** quæcunq; ante charitatem sunt peccata & damnabilia & indisponentia ad gratiam.

Hæc propositio est falsa, temerarie asserta, peccatorum ab emendatione retractiua, & sapiens hæresim.

**III. QVI** bonum opus aut poenitentiam a peccatorum detestatio

ne ante dilectionē iustitiæ incipi nec in eo peccari asserit, inter Pelagianos numerandus est.

Hæc propositio est falsa, & ignoranter asserta, capiendo dilectionem iustitiæ pro ea quæ charitatem seu gratiam gratum facientem sequitur.

**CONTRITIO** quæ paratur per discussionem, collectionem, V. & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatē, multitudinem, foeditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, Hæc inquam contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

Hæc propositio est falsa, uia ad pœnitentiam impeditiua, scripturis sacris & doctrinæ sanctorum difformis.

**NEQVE** timore neq; amore potest homo se erigere ad cape- VI. ssendam gratiam dei.

Hæc propositio est in fide & moribus erronea, omnem præparationem ad pœnitentiam impie auferens.

**SINE** gratia primo remittente culpam, nec uotum remissio- VII. nis quærendæ homo potest habere.

Hæc propositio est falsa, impia, & peccatorum ad despera- tionem inductiua.

**CHRISTVS** nunquã peccatores coegit timore ad pœnitentiã. VIII.

Hæc propositio, capiendo cogere pro inducere, sicut capis frequenter in scriptura sacra, est hæretica.

**BONVS** est timor & utilis licet sit insufficiens per quæ paula IX. tim fit consuetudo iustitiæ. De his uerbis Augustini sequitur iudicium Lutheri. Hoc est (inquit) meo iudicio consuetudo desperandi & odiendi deum si excludatur gratia.

**IUDICIUM** Lutheri de illo dicto Augustini, Bonus est timor &c. est falsum, temerariũ & impium, accipiendo gratiam, ut supra, pro gratia gratũ faciente sicut eam accipit scriptor.

**SI** Ioannes scilicet baptista timorem docuisset esse initium pœ X. nitentiæ, non ideo sequitur pœnitentiam incipere a timore.

Hæc propositio est manifeste erronea, in Christum & inspiratam præcursoris eius doctrinam contumeliosa.

Propositio

DE CONFESSIOE.

I. ARS confitendi qua hucusq; docti sumus arenam numerare, singula peccata discutere, colligere atq; ponderare ad faciendā contritionem, est ars inutilis, immo ars desperandi & perdendi animas.

Hæc propositio est falsa, impia, schismatica, & confessioni, quæ est ars lucrandi animas, iniuria.

II. CONFESSIO illa quæ nunc agitur occulte in aurem, nullo potest diuino iure probari, nec ita fiebat primitus.

Huius propositionis prima pars est falsa, & ex ignorantia iuris diuini asserta. Secunda est temerarie posita.

III. SPIRITVALIS defectus est soli deo aperiendus.

III. SI oportet confiteri occulta cordis, tantum ea quæ pleni sunt consensus in opus, homines debent confiteri.

V. PECCATA contra duo ultima præcepta decalogi commissa, sunt prorsus a confessione secludenda.

Quælibet harum trium propositionum est in fide erronea, & impie confessionem dimidians.

VI. NVLLO modo præsumat homo confiteri peccata uenialia.

Hæc dissuasio innuens præsumptionis esse confiteri peccata uenialia, est temerarii animi indicatiua, ab opere bono retractiua, & ideo perniciofa.

VII. NON iustificamur operibus, neq; pœnitenciis aut confessionibus.

Hæc propositio, loquendo de operibus bonis fidē mediatoris nō excludentibus, est erronea, pœnitentiæ & confessionis cōtemptiua, & sane diuinæ scripturæ intelligentiæ aduersa.

DE ABSOLVTIONE.

Propositio. ABSOLVTIO est efficax, non quia fit, a quocunq; tandem

I. fiat, erret siue non erret, sed quia creditur.

II. CREDE fortiter te esse absolutum, & absolutus uere eris, quid quid sit de tua contritione.

II. ESTO per impossibile q; confessus non sit contritus, aut q; sacerdos non serio, sed ioco absoluat, si tamen credat se esse absolutum, uerissime est absolutus.

Hæ tres propositiones ad sensum scriptoris sunt falsæ, impiæ, ignoranter & difformiter ad sanâ sacræ scripturæ intelligentiâ assertæ. Et in hoc quod dicit, a quocûq; tandē fiat, erret siue nō erret, & in eo quod subdit, nō serio, sed ioco absoluat, sunt piarū aurium offensus, sacramenti pœnitentiæ irrisoria, & conciliorum generalium determinationibus contraria.

**QVILIBET** sacerdos debet absoluerè a pœna & culpa, aut III. peccat.

Hæc propositio ad sensum scribentis est falsa, obseruationis & doctrinæ uniuersalis Ecclesiæ in his quæ concernunt sacramentum pœnitentiæ contraria.

#### DE SATISFACTIONE.

**PECCATA** deus & semper & gratis remittit atq; condonat nihil a nobis inuicem requirens quâ ut in posterū bene uiuamus. I. Propositio

Hæc propositio est a sententia sanctorum doctorum aliena, fideles, uana & stulta confidentia, a debita satisfactione pro peccatis retrahens, & hæretica.

**SENTENTIA** est Apostoli pœnam & culpam simul finire. II.

**DE** industria damnat propheta sententiam probantium satisfactionem, dicens. Quoniâ si uoluisses sacrificium dedissem, holocaustis non delectaberis. III.

**IRRIDET** Micheas, ppheta eos q per opera satisfacere uolunt. III.

Prima harū propositionum est in Paulum. Secunda in prophetam. Tertia in Micheam contumeliosa, & omnes falsæ, impiæ, & in spiritum sanctum blasphemæ.

**VIRTUTE** clauium iactant quidam solui pœnas per diuinâ iustitiam requisitas, quod non credo uerum nec probabitur. V.

Hæc propositio qua negat uirtute clauium pœnas per diuinâ iustitiam requisitas solui, est falsa, scandalosa, potestati clauium derogatiua, & in hoc q dicit, quod non credo uerum, nec probabitur, est animi temerarii indicatiua, & arrogantis.

**COMMENTVM** & futile cauillum est dicere, quod dicunt quidam, quia sacerdos ignorat mensuram contritionis absoluen- VI. uendi, ideo q forte nō imponit tantâ satisfactionem quantâ diuina iustitia requirit, q propterea necesse sit diuinæ iustitiæ sa-

elsheri uel proprio opere uel indulgenciis.

Hæc propositio est falsa, ritui Ecclesiæ & eius doctrinæ aduersa, & pœnitentialis satisfactionis eneruatiua.

**VII. POENA** qua deus uult peccatum punire, non potest auferri per hominem uel per Papam.

Hæc propositio est autoritati Ecclesiæ a Christo concessæ, impie & schismaticè contraueniens, & sapiens hæresim.

Huic materiæ annectitur una propositio de Sacramentis in genere.

**VIII. HAERETICA** sententia est qua sacramenta nouæ legis gratiâ iustificantē dare dicunt illis qui non ponunt obicem, cū sit impossibile sacramentum conferri nisi iam credentibus & dignis.

Hæc propositio est falsa, temeraria, & præsumptuose asserta.

**Propositio. DE ACCEDENTIBVS AD EVCHARISTIAM.**

**I. MAGNVS** & perniciosus error est, si quis accedat ad sacramentum Eucharistiæ, ea nixus fiducia, q̄ confessus est, q̄ non sibi conscius mortalis peccati, q̄ orationes & præparatoria sua præmiserit, omnes hi iudicium sibi manducant & bibunt.

Hæc propositio est impia, a debita sacramenti suscipiendi præparatione maxime retractiua, ad desperationem inducens & doctrinæ Pauli contraria, nec fideles ea nixi fiducia secludūt diuinam misericordiam.

**II. PROBATIO** qua homo peccata sua discutit, atq; ponderat, non pertinet nisi ad insensatos & crassos sacramenti contemptores.

Hæc propositio est temerarie, & arroganter asserta, impia, & scandalosa.

**DE CERTITVDINE CHARITATIS**  
habitæ.

**Propositio. PESSIME** docent Theologi, quando dicunt, nos nescire quādo sumus in charitate.

Hæc propositio, intelligendo nescire certitudine fidei, de qua loquitur scribens, est falsa, sacris doctoribus dissona, & sanæ intelligentiæ scripturæ.

**II. CAVEAT** omnis Christianus ne unquam incertus sit, an deo



placeant opera sua, qui enim sic dubitat, peccat, & perdit opera sua cuncta, frustra q̄ laborat.

Huiusmodi cōsiliū, loquendo de certitudine ut supra, est temerarium, perniciosum, & sacris eloquiis difforme.

### DE PECCATIS.

**IUSTVS**, in omni bono opere peccat.

Propositio

I.

**OMNE** opus bonum optime factū, est peccatum ueniale.

II.

Vtraq̄ harum propositionum est falsa, piarum auriū offensua, ac bonorum operum infamatiua.

**QVOD** nō oī tēpore p̄citemus, & resipiscimus, uitiū est.

III.

Hæc propositio, ut uitiū dicit culpam, ad sensum scribentis est falsa, irrationabiliter, & ex erroneo scripturæ intellectu asserta.

**HOC** est mortalium mortalissimum non credere se esse damnabili & mortali peccato obnoxium coram deo.

III.

Hæc propositio est falsa, impia, desperationis inductiua, & sapiens hæresim.

**THEOLOGI** docentes regula sua uenialia peccata esse distincta a mortalibus, ad insaniam perditissime nituntur trahere hominum conscientias.

V.

Hæc propositio est stulte & præsumptuose asserta, sacris doctoribus iniuria, & in quantum præ tendit uenialia non distinguere a mortalibus, est hæretica.

### DE PRAECEPTIS.

Propositio

**QVI** negat deum nos impossibile iussisse, pessime facit, & qui hoc falsum esse dicit, plus quā pessime facit.

I.

Hæc propositio est scandalosa, impia, legis Christianæ infamatiua, ac authore Augustino in deum blasphema.

**SOLA** duo ultima decalogi præcepta sunt, quæ a nullo quantūlibet sancto aliquo modo implent, cætera oīa implēt. Sed in his duobus manēt rei & peccatores, quia nihil de istis implent.

II.

Hæc propositio est erronea, impia, in legem & legislatorem blasphema, & in sanctos contumeliosa.

**OMNE** præceptum dei magis positum est ut ostendat præteritū & præsens peccatū, quā ut futurū prohibeat, siquidē iuxta

III.

**Apostolum, per legem nihil nisi cognitio peccati.**

Huius propositionis prima pars est falsa, temerarie & sine ratione asserta. Secunda uero, q̄ iuxta Apostolum per legem &c. est erronea, legi, intentioniq; Pauli contraria.

III. **QVIA** homini charitatem habēti nulla lex necessaria est, ideo per hoc præceptum, Sabbata sanctifices, non opus præcipitur, sed quies.

V. **ISTVD** præceptum tertium Sabbata sanctifices, cessauit proprie, immo omnia quo ad perfectos Christianos, quia iusto nō est lex posita.

VI. **INFIRMIS** qui nondum sunt mortificati secundum ueterem hominem opus est, ut certis officiis, diebus, modis, occupentur, uigiis, ieiuniis, orationibus, disciplinis, & similibus, quibus perueniant ad profectum interioris hominis, ut ubi corpus fuerit castigatum, & in seruitutem fuerit redactum, & mortificatæ passiones, tum ipsa cessent paulatim, & tantū minuant, quantum profecerit interior homo, adeo ut si perfectus fuerit illa omnia cessare debeant.

Quælibet harum trium propositionū præcedentiū, est erroneo scripturæ intellectu asserta, iure in concilio Viennensi contra Begardos reprobata, & hæretica.

**Propositio.**

**DE CONSILIIS EVANGELICIS.**

I. **ILLVD** uerbum Christi Matthæi quinto. Qui te percusserit in maxillam dextrā &c. Et illud ad Romanos. xii. Non uos descēdentes charissimi &c. non sunt consilia, sicut etiam multi Theologi errare uidentur, sed præceptum.

Hæc propositio est falsa, legis Christianæ nimium oneratiua, & sanæ intelligentiæ scripturæ aduersa.

II. **REQVIRERE** coram iudice de iniuria reparationem Christianis prohibitum est.

Hæc propositio est falsa, scandalosa, iuri diuino naturaliq; dissona.

III. **QVIA** Christianus temporalia non debet amare, ideo propter ea non debet iurare.

Hæc propositio est in moribus erronea, & sapiens hæresim.

**IUDEIS** ad libitum uerum iurare est permissum.

**III.**

Hæc propositio si intelligatur permissum tanquã licitũ, falsa est diuino præcepto aduersã, & antiquus error Iudæorum.

**DE PURGATORIO.**

**Propositio.**

**SCRIPTURA** diuina tota prorsus nihil habet de purgatorio. **I.**

Hæc propositio est falsa, Waldensium errorem maxime fouens, ac sanctorum patrum sententiæ repugnans.

**NON** uidetur probatum esse q̄ animæ in purgatorio sunt extra statum meriti, seu augendæ charitatis. **II.**

Hæc propositio est falsa, temerarie & impie asserta, & in hoc quod prætendit animas in purgatorio non esse extra statum meriti, seu augendæ charitatis, & in fide erronea.

**NON** uidetur probatum esse, q̄ ipsæ animæ in purgatorio sint de sua beatitudine certæ & securæ, saltem omnes. **III.**

Hæc propositio est falsa, & præsumptuose asserta, & in hoc quod prætendit animas purgatorii non esse certas de sua beatitudine, est traditioni Ecclesiæ & doctrinæ sanctorũ contraria.

**ANIMAE** in purgatorio peccant sine intermissione quãdiu horrent pœnas & petunt requiem, quia quærunt quæ sua sunt plus quã uoluntatem dei, quod est contra charitatem. **III.**

Hæc propositio est falsa, impia, purgandis animabus iniuria, & hæretica.

**IMPERFECTA** sanitas seu charitas morituri necessario secum fert magnũ timorẽ, tantoq̄ maiorẽ quanto minor fuerit ipsa. **V.**

**POENA** purgatorii est pavor & horror damnatiõis & inferni. **VI.**

Vtraq̄ harum propositionum est falsa, temerarie & sine ratione posita.

**PROBABILE** est animas purgatorii præ confusione nescire quo statu sint, damnatæ an saluatæ, immo sibi uidentur iam ire in damnationem & descendere in lacum. **VII.**

**ANIMAE** in purgatorio nihil aliud sentiũt quã incipere suã damnationẽ, nisi q̄ sentiũt nondũ clausam post se portã inferi. **VIII.**

Vtraq̄ harum propositionũ est falsa, piarum aurium offensua, uoluntate & irrationabiliter posita, & statui animarũ purgatorii iniuriosa.

**IX.** OMNES animæ in purgatorium descendentes sunt imperfe-  
ctæ fidei seu sanitatis, immo per quantâcunq; ablationem pœ-  
narum non essent sanæ nisi prius ab eis auferatur peccatum, id  
est, imperfectio fidei, spei & charitatis.

Hæc propositio quantû ad omnes partes est falsa, & teme-  
rarie asserta, ac sanæ scripturarum intelligentiæ diffona.

#### DE CONCILIIIS GENERALIBVS.

**Propositio.** VIA iam nobis facta est eneruandi auctoritatem conciliorum  
I. & libere cōtradicens eorû gestis ac iudicandi eorû decreta.

Hæc propositio, si uelit scriptor, licitum esse cuiuspiam consi-  
lii legitimi auctoritati contradicere in iis quæ fidem & mores  
concernunt, est schismatica & hæretica.

**II.** CERTVM est inter articulos Iohannis Hus uel Bohemorum  
multos esse plane Christianissimos & Euangelicos, quos non  
possit uniuersalis Ecclesia damnare.

Hæc propositio, loquendo de articulis condemnatis, de  
quibus intēdit scriptor, est falsa, impia, & sacris cōciliis iniuria.

**III.** ISTI duo articuli, unica est sancta uniuersalis ecclesia, quæ est  
prædestinatorum uniuersitas, & uniuersalis sancta ecclesia tan-  
tum est una sicut tantum est unus numerus prædestinatorum,  
non sunt Iohannis Hus, sed Augustini super Iohannem.

Hæc propositio, ad Hussitarum intelligentiam, est falso Au-  
gustino attributa, articuli autem loquendo de ecclesia militan-  
te de qua ibi fit sermo, sunt propositiones hæreticæ.

**III.** ISTE articulus, duæ naturæ diuinitas & humanitas sunt unus  
Christus, est a catholicis concedendus. Et similiter ille, diuisio  
humanorum operum est q̄ sunt uirtuosa uel uitiosa, quia si ho-  
mo est uitiosus & agit quicquã uitiose agit, & si est uirtuosus &  
agit quicquã, uirtuose agit.

Hæc propositio est falsa, & ex ignorantia ueræ Theologiæ  
asserta, primus autē illorum articuloꝝ, scilicet duæ naturæ &c.  
est propositio hæretica. Secundus uero, scilicet diuisio humano-  
rum operum &c. est propositio sapiens hæresim.

#### DE SPE.

**SPES** non prouenit ex meritis.

Hæc propositio est falsa, presumptionis inductiua, ac sacris scripturis difformis.

#### DE POENA HAERETICORVM.

HAERETICOS comburi est contra uoluntatem spiritus. **Propositio.**

Hæc propositio est falsa, contra uoluntatem spiritus diuini I. asserta, & errori Catharorum & Waldensium consona.

#### DE OBSERVATIONE LEGALIVM.

LICET opera legis quæcunq; fieri si ea requirat charitas frater- **Propositio.**  
na modo non lege cogente. quo casu licet etiam modo circun-  
cidi sine periculo & cum multo merito.

Hæc propositio est Christianæ legi inimica, Iudaicæ perfidiae fauens, & hæretica.

#### DE BELLO CONTRA TVRCAS.

PRAELIARI aduersus Turcas est repugnare deo uisitanti ini- **Propositio.**  
quitates nostras per illos.

Hæc propositio uniuersaliter intellecta, est falsa, nec sacris eloquiis conformis.

#### DE IMMVNITATE ECCLESIASTICORVM.

SI Imperator uel Principes reuocent libertatem datam perso- **Propositio.**  
nis & rebus Ecclesiasticorum, non potest eis resisti sine peccato  
& impietate.

Hæc propositio est falsa, impia, schismatica, libertatis ecclesia-  
sticæ eneruatiua, ac impietatis tyrānicæ excitatiua & nutritiua.

#### DE LIBERO ARBITRIO

LIBERVM arbitrium non est dominus actuū suorum. **Propositio.**

Hæc propositio falsa, sacris doctoribus ac omni doctrinæ mo- I.  
rali aduersa, cū Manicheorū errore cōueniens, ac hæretica.

FRVSTRA garrunt Sophistæ actum bonum esse totū a deo, II.  
sed non totaliter.

Hæc propositio est sanctis doctoribus eā ponētibus iniuria,  
Ambrosio potissimum Augustino & Bernardo, quos hic So-  
phistas appellat, & quantū ad id quod præcedit actū bonū esse  
totaliter a deo, & nullo modo a libero arbitrio, est hæretica.

LIBERVM arbitriū dū facit quod in se est, peccat mortaliter. III.

Hæc propositio est scādalosa, impia, in fide & moribus erronea.

III. LIBERVM arbitrium ante gratiam nihil ualet nisi ad peccandum non autem ad poenitendum, ex Augustino de spiritu & litera.

Hæc propositio, accipiendo gratiam, pro gratia gratum faciente, de qua loquitur scriptor, est erronea, errori Manichæorum conformis, a sacris eloquiis aliena, peruerse & truncate ex Augustino allegata.

V. LIBERVM arbitrium sine gratia tanto magis appropinquat iniquitati, quanto fortius intenderit actioni, ex Ambrosio.

Hæc propositio, accipiendo gratiam ut prius, est falsa, piarum aurium offensiuæ, a bonis operibus retrahens, inique & mutilate ex Ambrosio excerpta.

### DE PHILOSOPHIA ET THEOLOGIA Scholastica.

Propositio. PHILOSOPHIA Aristotelis de uirtute morali, de obiecto, de actu, de actu elicitio, talis est quæ nec in populo doceri possit, nec est ad scripturæ intelligentiam utilis, quia continet duntaxat portenta uerborum non nisi ad contentiones uerborum conficta.

Hæc propositio quantum ad omnes suas partes, loquendo de philosophia Aristotelis, in his maxime, in quibus a fide nõ discedit, est falsa, & tanquam ab inimico scientiæ arroganter ac insipienter asserta.

II. OMNES uirtutes morales & scientiæ speculatiuæ non sunt ueræ uirtutes & scientiæ, sed peccata & errores.

Hæc propositio quantum ad primam partem, quæ uirtutes morales sunt peccata, est eodẽ modo qualificanda, sicut prius fuit illa qualificata. Opera quæcunq; ante charitatem sunt peccata. Quantum autem ad alteram, quæ scilicet scientiæ speculatiuæ sunt errores, est manifeste falsa.

III. THEOLOGIA scholastica est falsa scripturæ & sacramentorũ intelligentia, & exulem nobis fecit ueram & synceram Theologiam.

Hæc propositio est falsa, temerarie & superbe asserta, ac fanae doctrinae inimica.

IN sermonibus Iohannis Tauleri lingua teutonica conscriptis <sup>III.</sup> plus reperio, dicit Luther, Theologiae solidæ & synceræ, quam in uniuersis omnium uniuersitatum scholasticis doctoribus reperitum est, aut reperiri possit in omnibus suis sententiis.

Propositio quæ Luther asserit est manifeste temeraria.

QVO tempore cœpit Theologia scholastica, id est, illusoria, <sup>V.</sup> eodẽ euacuata est Theologia crucis, suntq; oĩa plane peruersa.

Hæc propositio est falsa, præsumptuose, & irrationabiliter asserta, & errori Bohemorum damnato uicina.

LIBIDINEM corrumpendæ scripturæ iam ferme trecentis annis <sup>VI.</sup> patitur Ecclesia incomparabili damno suo a doctoribus scholasticis.

Hæc propositio est falsa, stulte & malitiose asserta.

THEOLOGI scholastici Aristotelis moralia prorsus conuenire <sup>VII.</sup> re mentiti sunt cum Christi Pauliq; doctrina.

Hac propositione impudenter, & falso Theologis scholasticis imponit scriptor, quod non est uerum, quanquã satis exploratum sit in multis moralia Aristotelis, cum Christi Pauliq; doctrina consentire.

Additur & hæc ex lib. de Captiuitate Babylonica.

IN Dionysio qui scripsit de Cœlesti Hierarchia, nihil ferme <sup>Propositio</sup> est solidæ eruditionis. Et omnia sunt illius meditata in præfa- <sup>Lutheri.</sup> to libro, ac somniis prope simillima. In Theologia autẽ mystica perniciosissimus est, Platonizans magis quã Christianizans, in ecclesiastica uero Hierarchia ludit allegoriis, quod est otiosorum hominum studium.

Hæc propositio est falsa, temerarie & arroganter asserta, ac uiro sancto insigni eruditione claro iniuria, quem Damascenus diuinum Areopagitam, Pauli discipulum, sacerrimum & deiloquentissimum appellat.

## CONCLUSIO.



**N**OS Præfati Decanus & facultas præmissa hæc omnia tempore multo examinavimus, & quid de his sentirent Ecclesiastici doctores, quidue sacra concilia, quid insuper in scripturis sanctis caueretur diligenter annotavimus, post quod examen nostrum apud Sorbonam sæpius frequentatum, in plerisque nostris per iuramentum uocatis & factis concionibus, unanimi omnium uoto fuerunt conclusa, ac definita, ac demum ex abundanti in generali nostra congregatione apud sanctum Maturinum rursus per iuramentum super his specialiter denunciata, hæc eadem post missam more nostro celebratam iterum concordiam omnium assensu laudavimus, comprobavimus, ac rata habuimus, laudamus, comprobamus, & rata habemus, & ut talia inconcussa tenenda nostra sententia diffinimus, & decernimus. Acta fuerunt hæc Anno ab incarnatione domini, M. D. XXI. Die. XV. Aprilis, in quorum testimonium iis instrumentis quæ in Archiuis & scriniis nostris ad perpetuam rei memoriam reservamus, Sigillum nostrum duximus apponendum. Ad quorum exemplar de mandato nostro præsentibus fuisse fideliter impressas testamur.



AD VERSVS FVRIOSVM PARI  
sienfium Theologastrorum decretum,  
Philip. Mel. pro Luthero Apologia.

**V**IDE Christiane lector, quæ Theologorū monstra  
gignit Europa? Superiore anno Euangelium dam-  
narunt Colonienfes ac Louanienses Sophiftæ, pro-  
positis quibusdam nudis fentenciis, nec rationibus, nec fcrip-  
tura confirmatis. Horum infaniam uicere nunc nō diffimili ex  
emplo, quicunq; tandem funt, qui Parisii Lutherum dam-  
narunt ( adduci enim non poffum, ut credam rem cōmuni-  
bus totius ordinis theologicī fuffragiis actam effe ) Nam præ-  
terquā quod illic pauitiora reprobata funt, quanto durius hic  
& immitius tractat Lutherus? Primū adfcripta eft Epiftola cruē-  
ta, deinde adiectæ funt adnotationes in fingulas Lutheri fentē-  
tias, & impiæ & atroces, pleraq; huius etiā finiftre detorta funt.  
Et uel hinc etiā potefl colligi, qui fpiritus, quæ intēperia agant  
decreti auctores, quando fpiritus dei nihil non facit candide.  
In uniuersum eiuſmodi liber eſt, qualem Lutetia fcribi poſſe  
nemo facile crederet, ſiquidem ita uulgo perſuaſum eſt, in ea  
ſchola, uelut in arce quadam regnare Chriſtianas literas. Neq;  
negari potefl, inde prodiffe olim grauiffimos homines, adeoq;  
proximo ſeculo Gerſonem illum, plenum, ut adparet Chriſtia-  
ni ſpiritus. ἀλλὰ κατὰ τὴν παροιμίαν. πάλαι ἦσαν ἄλκιμοι  
μιλίſιοι. Atq; illi ſi nunc reuiuifcerent hos iudices, quicūq; funt,  
degenerem poſteritatem, putas, agnoſcerent? Nequaquā, ſed  
deplorarent tum ſcholæ, tum totius reipub. Chriſtiana ſortem,  
in qua pro Theologis Sophiſtas, pro Chriſtianis doctōribus ca-  
lamniatores regnare uiderent. Agnoſcerentq; id eſſe tempus,  
quod apud Hieremiam Eccleſia deplorat his uerbis, Abſtulit  
oēs magnificos meos dominus de medio mei, uocauit aduer-  
ſum me tēpus, ut cōtereret electos meos. Quāquā ubi rem pro-  
pius cōſidero, uideſ Lutecia nō peccare nunc primū, ſed iam  
olim ineptire, cū eccleſiaſtica doctōrina humanis diſputationi-  
bus uiciata, philoſophari cōepit. Conſtat enim natam eſſe Lu-

tecie prophanã illã scholasticen, quã theologiã uocari uolunt, qua admissã nihil salui reliquum est ecclesiæ. Euangeliũ obscuratum est, fides extrinsecta, recepta operũ doctrina, & pro Christiano populo, ne legis quidem sed moralium Aristotelis populus sumus, & ex Christianismo contra omnem sensum spiritus, facta est quædam philosophica uiuendi ratio. O utinam cõtingat uobis spiritualibus oculis cernere, quid Ecclesiæ damni dederit uestra illa, apud uos & nata, & exulta scholastica, quã a uobis acceperunt, quasi per manus reliqua Europæ gymnasia. Oportuit. n. idolis terram repleri. Et uel articuli uestri testantur, quam pertinaciter inde usq; ab ortu scholasticæ philosophati sitis, in quibus quã pauci sunt qui ad pietatem pertinent? Quorsum enim hæc? Ego currit, esse absurdam orationem, & interesse, nescio quid, inter has orationes, Cuiuslibet hominis asinus currit, & Asinus cuiuslibet hominis currit. Digna uidelicet Christiano gymnasio dogmata. Iam & palam decretam est philosophicas disciplinas esse ad pietatem necessarias. qui articulus a quo spiritu profectus sit nõ uidemus? nempe ab eo, qui Euangelium obscurari uoluit humanis disciplinis. Et huic ut successerit conatus non est obscurum. Nam quæ schola usquã docuit pure sacras literas? Parisiaca uero cũ hætenus tot annos philosophetur, his temporibus non iam philosophatur, sed nugatur tantũ de paruis logicalibus. Quid enim nugacius Verfore, Tartareto, & reliquis huius farinae scriptoribus? quales hoc seculo pene innumerabiles tulit Lutetia. Vidi Iohannis Maioris cõmentarios ( de moribus hominis non iudico ) in sententias Longobardicas, quem nunc inter Lutetiæ Theologos regnare aiunt. Bone deus, quæ plaustra nugarum? Quot paginis disputat, utrum ad equitandũ requiratur equus? num falsum mare a deo conditum sit? ut interim præteream, quã multa impie scripserit de uoluntatis libertate, nam eo loco non modo a scriptura, sed & ab omnibus pariter scholasticis uariat. Et cũ tales sint Parisii, non est quod mireris lector, cur parum propicii sint Luthero. Nihilo quondam æquiores erant Gersoni suo, uiro per omnia magno, cum saniores essent Lu  
tetia

etiae scholae. Nunc quid fieret, cum omnia plena sunt Sophisticis  
fucis? Compertum autem habeo esse ibi etiam, quibus non displicet  
Lutherus, sed ita euenire solet non modo in sacris, sed & ci-  
uilibus negociis, maxime uero in sacris, ut & pauciores sint,  
qui boni sunt, & plurimum possint, quos minime oportuit. Id  
quod uidit etiam Homerus, quanquam caecus, cum ait τὰ χεῖρα  
ὄνα *ὄνα*. Quis nescit. n. in Capnionia causa per quas laruas res  
acta sit, cum facultas etiam diceretur decreuisse. Septem, ni fal-  
lor ad summum, & in his monachi aliquot conuenerant, qui, si-  
cut ipsi loquuntur, representabant facultatem. Quid si idem hic  
accidit? Quanquam non refert qui decreuerint, quid decretum sit,  
considerandum est. Nec angelis Euangelium uiciantibus ce-  
dendum esse iubet Apostolus. Nos insulsis istis, & bene pingui-  
bus magistris nostris, qui ne sua quidem parua logicalia recte  
didicerunt, cedemus? Apostolum neque potestates neque principa-  
tus ab Euangelio auellunt. Nos auellant haec hominum laruae?  
quid enim sunt praeter laruas? Valeat nomen magistrorum no-  
strorum, ualeat nomen Parisiensium, sed in suis scholis, in re-  
pub. Christiana nihil ualeat praeter uocem Christi, quam qui non  
audit, is Christi non est.

Non referebat admodum respondere, quando praeter nudas  
propositiones nihil opponitur Luthero, qui sua sic undique scrip-  
tura communiit, in primis autem in libello, quem inscripsit Adsertio-  
nem articulorum a Leone. X. damnatorum, ut impia iudicari,  
nisi ab impiis non possint. Tamen indicare paucis libuit unum  
aut alterum locum, ex quo aestimare reliqua, & iudicare de toto  
decreto liberius possis.

Principio, nisi alicuius conducticii rhetoris est Epistola, quam  
praefixerunt decreto, nae egregie ineptiit, theologus ille, quaeque est,  
qui scripsit, quae nihil praeter muliebres quasdam furias conti-  
net. Qualia. n. quae sunt? solus uult sapere, contemnit nos, Ma-  
nichaeus est, Montanus est, insanit. Coherceatur igni & flamma,  
quod non fuit ira congrue dicere. Porro hic etiam uulgus comu-  
nem sensum in ista ficticia facultate desiderabit, quae igni potius  
perdendum ait, quam ratione uincendum esse Lutherum. Quis

d.

non rideat hic muliebrē, & plane monachalē impotentiā, & cū  
supportatione liceat mihi monere spectabilē dominū Decanū.  
Parcatis dñe Decane, uos estis iā iratus. Num ignoratis, qđ ait  
Poeta, Furor, iraq; mentē præcipitat. Nusquā per gratias sic in-  
eptierūt uel Colonien, uel Louanienses, ut p̄p̄modū credā nō  
oīno temere dictū esse a q̄busdā ueterib⁹, cerebro Gallos carere.

Accusant hæreseos Lutherū, non q̄ a scriptura, sed q̄ ab uni-  
uersitatibus, S. patribus, Cōciliis dissentiat. Deinde prima prin-  
cipia fidei uocant Vniuersitatū, S. patrū, Conciliorū sentētias.  
Hic ego uestris etiā decretis, si res est obscura, uobiscū agere po-  
ssim. Quid autē manifestius est, quā nec Vniuersitates nec S. pa-  
tres, nec cōcilia posse articulos fidei condere, quādoqđ fieri po-  
test, ut errent, nō modo Vniuersitates, sed & S. patres & Cōci-  
lia, qđ si mihi nō creditis, Occhamo saltē uestro credite. Ecqđ  
igif̄ principia fidei uocatis hominū opiniones? Quis ignorat  
a Paulo dictū esse fundamētū aliud poni nō posse, p̄ter id qđ  
positū est, loquit̄. n. de doctrina. Ecquos nouos articulos fidei  
Magistri n̄ri Parisienses addēt̄ nisi suos illos fortasse rancidos,  
& in popinis natos articulos? Iā cū articuli fidei nulli sint, nisi  
quos præscripserūt sacrae literæ, cur impiū est uel a Conciliis, uel  
ab Vniuersitatib⁹, uel a S. patribus dissentire, modo a scriptura  
nō dissentiamus. At nō dissentit a scriptura Luther⁹ etiā uestro  
iudicio, cur igitur impietatis accusatur? At dissentit a scripturæ  
expositione, quæ hætenus per patres, per Concilia, per scho-  
las recepta est. Hæc est, ut uideo, cōtrouersia summa. Hic ego  
Magistri nostri, interrogo, ita ne sit prodita scriptura, ut sine  
Conciliorū, patrū, ac scholarū expositione, certa eius sententia  
colligi possit, an non? Quod si negabitis, certā per sese scriptu-  
ræ sententiā esse, sine glossis, nō uideo cur oportuerit edi scrip-  
turā, si noluit spiritus sanctus certo constare, qđ nos sentire uel-  
let. Aut cur omnino nos ad scripturæ studiū inuitāt Apostoli,  
si incerta est eius sententia? Quid quod eatenus sibi credi patres  
uolunt, quatenus per testimonia scripturæ sua cōmunierunt?  
Quid quod etiā uetera cōcilia sine scriptura nihil decreuerunt,  
& hæc ratiōe inter concilia uera & falsa discernimus, q̄ hæc cū  
scriptura euidente cōsentiūt, illa a scriptura dissentiūt. Proinde

dabitur mihi certā esse scripturæ sententiā ac perspicuā, ita ut ip-  
sa, si q̄s alicubi locus est obscurior, sese exponat, præsertim in  
iis quæ sciri, crediq̄ uoluit sanctus spiritus. Voluit autē haud du-  
bie legē cognosci, ut quā iubebat etiā ædiū uestibulis inscribi, &  
in sculpi uestiū fimbriis. Voluit itē cognosci Euangeliū, hoc est,  
rationē iusticiæ donatā per Christū. Nam cū debeat esse petra,  
uerbū dei, cui innitat anima, quæso quid sentiet de eo, nisi cer-  
tū sit, quæ sit sentētia spiritus dei. Iam cū certa sit scripturæ sen-  
tētia per sese, debet præferri nō modo scholis, aut patribus, sed  
& cōciliis diuersum sentientibus. Apostolo ad Galatas auctore,  
Si angelus de celo euāgelizet, præterquā quod euāgelizauimus  
uobis anathema sit. Liceat igit̄ Luthero opponere certā scriptu-  
ræ sententiā conciliis, patribus & scholis. Quid hic Sophistæ re-  
spōdebitis? quās hic nobis glossas? quæ parua logicalia? quas  
obligationes cōminiscemini? Aut negate certam esse scripturæ  
sententiā, aut permittite Luthero opponere scripturam qui-  
busuis diuersum sentientibus.

Iam nec hoc permittemus uobis, aduersari uel patribus, uel  
conciliis Lutherū. Et, ut de patribus primū loquar, an nō Lu-  
theri de libero arbitrio, de gratia, si recte rē æstimes, sentētia to-  
ta Augustini est. Et hūc per oīa secutus est in cōmentario ad Ga-  
latas, extant utriusq̄ cōmentarii, quos si cōferas, uidebis cōue-  
nire inter eos de rerū summa. Extāt Augustini libri aduersus Pe-  
lagianos, quos ille iā natu grandior scripsit, eos si cōtuleris, cū  
Lutheranis dogmatis, uidebis de summa rei cōuenire. Fortassis  
alter alicubi quiddā dixit argutius, & multa Lutherus diligen-  
tius (rumpite uos interim magistri nūi) quā Augusti. Sed hoc  
ad rei summā nō ita multū facit. Ecce in primario loco, a deoq̄  
in eo, in quo potissimū regnat Lutherus, habet *ὁ μόνος* Aug.  
& patronū minime uulgarē. habet itē suæ sentētiæ testes, quot-  
quot in ea disputatiōe Aug. suffragant̄. Suffragant̄ autē Cypria-  
nā illius enarrationē in orationē dñicā fideliter citat. Suffragant̄  
& q̄ post Aug. scripsere, Auctor libelli de uocatōe gētiū, nā Am-  
brosii nō uidet̄ esse, Maxētī<sup>9</sup> apud græcos. Porro ex Aug. libris  
eos recipim<sup>9</sup>, quos ipse potissimū p̄bati uoluit. Atq̄ hac ideo  
d u

recenseo, non quod magni putem referre, quid scriptores senserint, quicumque tandem sunt, quando de scripturae sententia constat, sed ut satisfaciam morosis, qui putant nouasse omnia Lutherum, cum is aliud non egerit, quam ut reuocaret nos ad scripturam, adeoque ad patres etiam, qui ad scripturae sensum proxime accesserunt. Vos quid agitis? num aliud: quam ut in Scoti formalitatibus, in Occhami connotatis grandescant potius quam in Christo, Christianorum animi. Nec aliter exorienti Euangelii luci (audite Sophistae, non intellecturi) aduersamini, atque Mosilamnes ac Mambres. Quorum posteritas est Sorbonae familia, nempe ex illa Serbonitide Aegytiaca prognata. Porro qua fide aliquoties citaueritis aduersus Lutherum Augustini sententias paulo post monebo. Iam & praeter locum de libero arbitrio & gratia, ueterum est, quod non uult distingui Lutherus legem in consilia & praecpta. Quod commentum soli scholasticae theologiae debemus, quae ubi coepit diuinam legem ad philosophiam Aristotelis exigere, pro libidine refixit, quas uoluit leges dei. Quis, n. ueterum non pro necessariis legibus habuit, ea quae sancita sunt de non uindicando. Hilarius, EXIGUNT, inquit, Euangelia ulciscendae iniuriae dissimulationem. Augustinus in sermone domini in monte, praecpta uocat, quae isti consilia. atque ita disputat, ut necessariam esse legem de non uindicando adpareat. Et in hac sententia est Chrysostomus, qui tantum abest ut uindicari permittat, ut non aliam legem exigat pertinacius. Exstat illius ὁμιλία, quam si licet uobis per parua logicalia Magistri nostri, relegite. Quod cum Aristotelis philosophia non conuenit lex, non laboramus. Quid enim ad nos quid ille impurus homo commentus sit? Num Christo plurius Aristotelem faciemus? Sed de hac lege infra paulo plura differemus. In plerisque locis aliis idem ostendi potest, conuenire Luthero cum ueteribus. Sed cum ex sententia de libero arbitrio & gratia, fere colligi possint, quae de contritione, & satisfactione scripsit Lutherus, quid attinet multis patrum testimoniis agere, nisi quod *ἐν τῇ μεσοκρίσει λύχρον.*

Sunt autem quaedam in Lutheranis, quae in patrum scriptis

non facile reperias, qualia sunt quæ de sacramentorū numero, de confessione, de uotis, deq; similibus temporum nostrorum caussis prodidit. Non enim illorum temporum ratio ferebat, & adhuc purior erat Christianismus, ut de paucioribus, quam nunc dubitaretur. Nondum habuerat ea ætas Pontificum tyrannicas leges, nondum habuerat Magistros nostros Parisienses, adeoq; articulos Parisienses, qui Euangeliū adeo obscurassent. Fortasse meridies erat Euangelii, nunc uesper est, & una cum peccatis nostris, etiam cæcitas, peccatorum nostrorū atrocissima pœna, mentes occupauit, quæ pro Euangelio humanas doctrinas, Sorbonæ Theologiā suggestit. Eam pœnam his temporibus an non ubiq; interminatur spiritus domini in prophetis? Et Paulus ait fore qui a fide discedant, qui corrumpāt humanis doctrinis Euangelium, & hoc genus multa, hi, nisi sunt Sorbonæ theologi, non intellego quid uelit Apostolus.

Vides lector conuenire magna ex parte Luthero cum Theologis ueteribus, Quanto iustius igitur in magistros nostros Parisienses retorserimus? ineptire eos, qui theologiā nobis præscribunt, ne per somniū quidem celeberrimis Ecclesiæ doctoribus cogitatam. Quod si impietas est refragari patribus, nemo magis impius est Parisiensibus disputatoribus, qui in principalibus Theologiæ locis, uelut ex diametro cū patribus pugnant. Bona patrum pars, peccatū uocat & uitium, quidquid sine spiritu Christi fit. Hi non modo non peccatum, sed & meritū congrui censent esse moralia quædam, sic loquuntur, opera. O cæcitatem. Bona patrū pars negat posse legem fieri ab homine per uires humanas, hi distinguunt. Audi lector Parisienses blasphemias, posse legem fieri, quo ad operum substantiā, non posse, quo ad præcipientis intentionem, quasi uero præter substantiā operis, amplius aliquid requirat legislator. Utinam mihi Parisienses ista corā uobiscū, in uestra illa Sorbona, daretur cōmentari, ut uiderem, num uos tam crassi, tam putidi, tam Sorbonici cōmenti puderet etiam. Vestra est illa Magistri nostri, nō Lutheri Theologia, quæ a patribus dissentit. Ad uos Tragica ista uestra pertinet, impios esse, qui ab Ecclesiæ doctoribus uariant.

Et haftenus quidē de doctoribus, Nunc concilia uideamus. Quibus tandem conciliis refragatur Lutherus? Videri uultis Lutheri doctrinam ueterum Conciliis damnatam, cum ex eo Montanum, Manicheum, Hebionem, & quid nō facitis. Hic aut rhetoricari uoluit Epistolæ auctor, aut nihil est Sorbona Parisiensi tum malignius, tum impudentius. Veterum hæreticorum nomina quo consilio in Lutherum congefferint, quis est qui non olfaciat, nempe quo odiosius Lutheri nomen fieret. Deinde id quā maligne factum sit, facileprehendent etiam mediocriter eruditi. Nam quod Montano cōfertur Lutherus, quis non uidet, quā non fiat candide. Sibi credi uolebat Montanus, & fidebat suo quodam spiritu, Lutherus nihil uult sibi credi, sed euidenti & perspicuæ scripturæ. Nihil de suo spiritu, sed de scriptura iactat. Quanto propius ad Montanū uos adceditis, qui uultis ut spiritui hominum, conciliorum, patrum, & uniuersitatum credamus, potius quā scripturæ. Immo nihil nisi Montani estis, uos Parisienses Sophistas uolo, qui hoc decretum sine scripturis edidistis, iactatisq; uos fidere Apostolico more, quasi constet eundem esse spiritum uobis, qui Apostolis erat. Sed de his postea.

Quæso te Christiane lector, nunquid putes esse Christiani spiritus in Sorbona illa, quā adeo nihil pudet mentiri. Nam cum palam sit ipsimet Sorbonæ nihil conuenire inter Montanum, & Lutherum, audet tamen Montani nomine optimū uirum infamare. Iam & Ebionem ex eo fecit, nihilo uel candidius, uel cautius. Exigebat Ebion ceremonias leges, Lutherus non exigit, sed liberas esse permittit, ut quiuis pro opportunitate, ac caritatis officio se attemperet uel inseruiat legi, uel negligat citra culpam. Nam ita sentiebat & Paulus in ultimo ad Galatas capite exequans ceremonias, ritusq;. In Christo Iesu neq; circuncisio aliquid ualet, neq; præputiū, sed noua creatura. Et in prima ad Corint. vii. Circuncisus aliquis uocatus est, non adducat præputiū, id est, si inter legis obseruantes uocatus es, inserui eorū consuetudini. In præputio autē aliquis uocatus



est, nō circuncidat. Circuncisio nihil est, & præputiū nihil est, sed obseruatio mandatorū dei &c. Satis, opinor, perspicuū est, quid inter utranq; sententiā intersit, satis etiā puto liquere, quā cādide Lutheri sententiā ad Ebionis hæresin detorserint. Eiusmodi est itē, quod Manicheū nomen tribuūt Lutherō, idē Augustino Pelagiani tribuebāt, sicut ipse testat̄ in primo libro aduersus duas Pelagianorū Epistolas, in capite secūdo, sic. n. distinxit scriba quispiā. Non pudebit Lutherū eius cōuicii, siquē cū Augustino cōmune habet, quo nō habuit Manichea factio uehementiorē hostem. Pelagiani, immo Pelagianis impuriōres sunt schoiasticæ theologiæ scriptores, quare non est, quod miremur cur Manicheū uocetis Lutherū, qui præter scholastica, hoc est, bis Pelagiana nihil sapitis. Et Augustinus, ut excuset Manicheū nomen, non est obscurū ex Apologia aduersus Pelagianorum Epistolas, Atq; eo loco de seruitute uoluntatis aptius differere uidetur, quam ubi cum Foelice Manicheo disceptat. Patrociniabitur idem si recipitis, & nobis. Quod si a deo cæci sunt Magistri Parisienses, ut serio arbitrentur nihil interesse inter Lutheri ac Manichei sententias. quid, quæso hoc hominum genere cæcius est? Rursum si per maliciam tribunūt, quæ ad eū nihil pertinere intellegunt, quid malignius? Est autē Manichea sententia prolixior, quā quæ hic recenseri debeat, q̄ toto doctrinæ genere dissentiat a Christianis dogmatis, si quid Augustino illius dogmata passim recensenti credid̄. Et, qd̄ ad hanc causam adtinet, sic Manicheus negabat humanæ uoluntati libertatē, ut negaret esse substantiā, quæ renouaret̄ a deoq; libertatis capacem. Lutherus ita negat libertatē, ut esse censeat substantiā, quæ dū per spiritū renouatur, a seruitute adserit̄. Ex his facito lector de reliquis coniecturā. Nā qua fide hæc quæ cōmemorauī ad Lutherū detorta sunt, eadem & pleraq; alia. Redeo nūc eo unde digressus sum. Palā est ueterū conciliis non esse reprobata Lutheri doctrinam, siquidē ei usq; adeo nihil cum hæreticis conuenit. Quanquam hoc etiam loco considerandū erat, ut maxime conueniret cum illis Lutherō, quid, quæ ratione in singulis factionibus hæreticorum damnatum sit,

niam quæ tam deplorata fuit hæresis, quæ nulla in re nõ peccerit: Iam hæc omnia, ita scribo, non quod uelim eam etiã priscis synodis auctoritatem esse, ut, si opponat euidentem scripturã Lutherus cuicunq; Synodo, de scriptura cedendum sit, sed ut moneam lectorem quantũ tragicis illis Magistrorum Parisiensium uocibus credendum sit, Lutherus damnat omnia concilia, sanctos patres, Montanus est, Ebion est, Manichæus est, Artotyrita est, & hoc genus aliis.

Fuerunt autem Papiistica concilia aliquot intra hoc tempus regni Antichristi Romani, his refragari se fatetur Lutherus, sed præeunte scriptura euidenti. Et cur non refragaretur? quando in illis tam multa impia aduersus Euangeliũ constituta sunt. Clauis Ecclesiæ esse omnibus cõmunes negat Viennense Concilium. Ecclesiam esse prædestinatorũ uniuersitatem, negat Cõstantiensis Synodus. Eadem decreuit esse quædam bona opera præter gratiam, quæ sententiæ ex diametro pugnant cũ Euangelio. Aduersetur igitur conciliis Lutherus Christo duce, aduersus quem qui decreuerunt, non erant Christi ecclesia, sed Antichristi. Nihil ne peccauerunt eæ synodi Lugdunensis credo & Viennensis, quæ Pontificum Epistolas adprobarunt & in quibus uel cap. ad abolendam. Item. c. Venerabilem quis ferat? Quid est igitur quod concilia iactatis Sorbonæ Theologi, nihil nisi Sorba, Negare non potestis, quin aduersum scripturam nihil liceat constitui, & reuelli posse, si quid contra illã sit decretum. permittite igitur Luthero conciliorũ decreta ad Euangeliũ exigere, permittite præferre Euangeliũ, si quid diuersum constitutum est. Verbo dei etiã angelos cedere par est, cedant & potere inferorum, cedant homunculi, quibus constitutiones Papisticas debemus.

De Uniuersitatibus non est quod laboremus, nam omnes scholas esse hæreticas uel Theologia scholastica coarguit. Hic conclamate Magistri nostri, Blasphemauit, Gymnasia hæreseos accusat. Recte, sicubi profitentur, quæ ab Euangelio dissentiunt, & dissentit Parisiorum scholastice, quæ iam sola in omnibus fere Europæ scholis regnat, ac Lutetiæ potissimũ. Proinde

inde nihil est, quod mireris lector, cur Academiis aduersus Lu-  
therus, domibus mendacii, ut Micheas adpellat. Sed quis cre-  
dat, inquis tot errare? Errant quotquot diuersum a scriptura  
docent, quotquot illam impiam scholasticen probant. Sed tam  
multi sunt maxime. Nam & in Samaria inter quam multos sacerdo-  
tes Baal, quam pauci erant Heliae. Propone oculis uniuersam tum  
Iuda, tum Samariae historiam, in qua praelusum est Ecclesiae, quam  
paucos prophetas, quam multos Idolatras, & postremo tempore  
quantum Zaddiceorum & phariseorum, hoc est, sacerdotum, ac mona-  
chorum & scholasticorum reperias. Num obscurum est, quod ab Eze-  
chiel propheta dictum est, Sicut mater, ita & filia, Imitati sumus  
imo uicimus omnia Synagogae portenta, ut praenobis etiam  
illa pia uideri possit, ut prophetae sermone utar.

Intelligis opinor, quantum Luthero cum patribus, ac conciliis  
conueniat, cum scholis religio uetat conuenire. Nunc considera quid  
sapiant Sorba ista, cum principia fidei uocant patres, Synodos &  
scholas, quanquam, nisi nihil uideo, non hoc dolet, quod patribus &  
Synodis contradicitur, sed quod scholastica parum digne tractatur.  
Haec illa Helena est, pro qua decertant Magistri nostri. Ecquid  
non ita scribebatis in illa uestra plane Sorbonica praefatione, Nos  
sumus Magistri nostri, & profitemur scholasticam theologiam,  
nihil neque nobis cum scriptura, neque scripturae nobiscum. Actum est  
de regno nostro, nisi e Synagoga eiecerimus, qui scholasticen  
non recipiunt, omnia nobis mouenda, miscendaque sunt, ne ca-  
dat scholastice, quae nisi salua sit, nos perierimus. Esto cum scrip-  
tura, cum ueteribus patribus, cum ueterum synodis conueniat Luthero,  
pereat, nisi reiectis illis, nos adoret. Principia fidei nos su-  
mus, non scriptura, neque uero pugnandum est ratione cum homine  
illo, nempe principia, hoc est Magistrorum nostrorum Sorbonico-  
rum somnia, negante. Vapulet, pereat, quia negat prima princi-  
pia. Dementia erat uocare fidei principia Synodos & patres,  
quando fundamentum aliud praeter scripturam poni non potest. At  
insolens furor est, Sorbonicorum commenta scripturae anteferre.  
Haereticus non sit, qui a scriptura dissentit, sit haereticus qui dissen-  
tit a Sorbis gallicis. Sed ualeant ineptiae, quid. n. attinet in re tam

manifesta tantū uerborū perdere. Quid. n. manifestius est, quā quod paulo ante diximus. Perspicuæ scripturæ, Synodorū quærūcunq;, patrū & scholarum sententias debere cedere.

Quin cætera in illa Sorbonica epistola persequimur. Is cui credit, inquit, qui ecclesiæ Catholicæ fidē habere detrectat. aut quomō catholicis adscribet qui Ecclesiā nō audit, cū ex ore ueritatis dictū sit. Si ecclesiā non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Quæso autē uos Magistri, quid uocetis ecclesiā? Sorbonā ne gallicam? At ea esse Christi ecclesia, qui potest, quæ a Christi uerbo aliena est, cū uocē ille suā testetur ab ouibus suis agnosci. Nos ecclesiā uocamus, eā quæ uerbo dei cōdita, uerbo dei pascit, alitur, fouet, regit, breuiter, quæ oīa ex Euāgelio cōparat, de omībus iuxta Euāgeliū iudicat. Nā, qui ex deo est, uerba dei audit. Rursum, q nō audiūt, nō sunt ex deo. Et cū ecclesia diuino sermone parta sit, haud dubie eodem alenda est. Agnoscat uos Lutherus pro ecclesia, si sermonē dei docueritis. nō agnoscat, si nihil præter fatuos, & rancidos articulos uestros produxeritis. Audit ecclesiā, sed eā quæ uerbū dei profitef, illius se iudicio subiicit, quæ nihil nō exigit ad uerbū dei, quæ iudiciū sacrarū literarū nō Sorbonicorū somniorū sequit. Quod enī monstrū fuerit ecclesia, si ad cuiusuis Sorbonici somniatoris cōmentū uariatur. Quis Chamæleon, quis Polypus, immo quis Proteus erit mutabilior?

Iam cū diceret Christus, Si ecclesiā nō audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, an non uolebat adcusari corā Ecclesia fontē, uolebat & per testes cōuinci, uolebat iudicari secundum præscriptū, adeoq; Euāgeliū. Vos priusquā adcusaueritis Lutherū, conuiceritisq; per scripturas, damnatis. Nudī quidā articuli sine scriptura, sine rationibus proponūtur, in quibus iam non accusatur, sed damnatur a uobis Lutherus. Num, ut reliqua ualeant sola Sorbona ecclesia est? q; excludit Lutherū e cōmunionē piorū. Adcusare debebatis, non damnare. Scripturæ testimonia debebatis subnotare, nō nudos articulos proponere, ac iudiciū Ecclesiæ permittere. Nūc uos peruerso ordine tum diuini, tum humani iuris, nō accusatis, nō cōuincitis, sed damnatis tantū. Nempe quia estis magistri nostri Sorbonici. Pudeat

tandem Sorbonæ Galliam tam impie delirantis.

Sed nã ego uehemẽter ineptus sum, qui tã irreuerenter Sorbonã tracto, nouos hoc tẽpore gignentẽ Apostolos. Aiunt enĩ Apostolorũ exemplũ se imitari Magistri nostri cũ nudas quãsdã sententias, citra scripturæ auctoritatẽ proponũt. Atq; utinã nobis nõ hac tantũ parte referrent Apostolos. Scripturarũ auctoritatẽ Christus citat, & sibi uult fidẽ haberi propter scripturæ suffragationẽ. Paulus prope nihil nisi aliena uerba, hoc est, scripturæ ueteris testamenti sonat, Apostolorũ contiões quid aliud sunt, nisi testimonia de Christo repetita ex ueteri instrumento. Soli Sorbonæ sine scripturis credemus? Prodite uos e Sorbonico specu Magistri nostri in hanc lucẽ, ut nõ qui oculi, nunqua frons sit tã ineptis hominib⁹ uideamus. Scilicet apostolicũ institutũ est, prodere dogma sine testibus? cũ ne Christus quidẽ sine scripturis sibi credi uoluerit. Quin cõferimus Apostolorũ factũ cũ Sorbonico. Proposita de legis ritib⁹ quæstio erat, ut in cap. xv. gestorũ Apostolicorũ scribit. Ibi cũ uariis testimoniis scripturæ & manifestis argumẽtis ac signis diuinus spiritus significasset, gentes nõ esse onerãdas iudaicis ceremoniis, decretũ est de libertate. Hic uos interrogo magistri nostri, quibus signis, quibus scripturæ testimoniis adacti de Luthero pronunciaueritis? Quãquã ne signis siquidẽ temere credem⁹, scripturæ tantũ credimus. Deinde deligunt, q; Apostolorũ mãdata perfe-rãt uiua uoce, cõfirmẽtq; ecclesiarũ fidẽ. Vos quẽ mittitis ad ecclesias, qui illis rationẽ sententiæ uestræ exponat? Postremo addunt epistolã, in qua spiritu sancti testimoniũ adlegãt, cũ aiũt, Visũ est spiritui sctõ & nobis. Vos quẽ spiritũ adlegatis? Audite tandẽ uos surdæ aspides, quẽ spiritũ oibi terrarũ testẽ adlegatis uestræ doctrinæ? Spiritũ dei allegãt Apli, nempe qbus certo cõstabat per scripturã de uolũtate spiritus diuini. Iã & ecclesiis cõstabat de Apostolico spiritu. Nos de spiritu uro qd sentiemus? Quid si uobis aliquis dicat, qd ille in actis, Iesum & Paulũ noui, uos autẽ qui estis? Quid q nõ ita scribebant Apostoli, quãquã spiritus testimoniũ citarent, ut putarẽt satisfactũ rei tantæ, per nudam Epistolam, sed addebant nuncios, qui confirma-

rent ecclesia **SERMONE COPIOSO.** Nunc Ecclesiae sermo-  
nem, nō dogmata requirunt. Et Petrus uult Christianos para-  
tos esse, reddere rationē fidei suae. Id nunc orbis terrarum uos  
quoq; Magistri nostri postulat. Iam ante palam erat in scholis  
quid sentiret Lutecia. Extant. n. uestri cōmentarii, extant scho-  
lasticae disputationes. Nunc ratio illius uestrae doctrinae quaerit.  
Nam articulos illos aduersus Lutherū uel in media Germania  
potuisset puer aliquis e Gabriele, aut Scoto sublegere. Adeo nō  
est obscurū quid sentiat Lutecia, sed obscurū est, cur ita sentiat.  
Rationē uestrae doctrinae poscit Lutherus, nō dogmata, nēpe,  
quae nisi nosset nō damnaret. Atq; utinā ad cor redeatis, cogite-  
tisq; de maioribus rebus a Luthero agi, quā de quibus uel Pari-  
siacae scholae, uel Luthero citra scripturae testimoniū credi de-  
beat, aut possit. Qui Luthero fauent, ideo fauent, quia reiectis  
hominū cōmentis uident aliud nō docere, quā quod ipsae pro-  
diderunt sacrae literae. iidem uobis credent, si cōuenire intelligēt  
cū scriptura, quia Christū requirunt tum a Luthero, tum a uo-  
bis. Arbitramini uos habere uasa cantici sicut Dauid, sic. n. pro-  
pheta loquitur, sed uobis tantū, idq; intus, canitis, Lutherus  
canticū suum, hoc est doctrinā adprobat toti orbi Christiano  
per scripturae suffragia. Nihil ista ad Christianos, Magistri no-  
stri sumus, Parisienses sumus, Sorbonici sumus, Parentes om-  
niū diatribarū sumus. Nā uana nomina sunt, ad quae iam pene  
obsurduit Germania. Proinde hortor, ut si impietatis notā ex-  
cusare uultis, rationē uestri de Luthero iudicii exponatis. Cōfer-  
te, cū Lutheranis, non dogmata, sed argumenta dogmatū ue-  
strorū, nisi Christiani haberi nō uultis. Declarate aliquādo quo  
spiritu a Sorbonicis Apostolis damnatus sit Lutherus. Id non  
modo nūc expectat Christianus orbis, sed & postulat iure Chri-  
stiani officii, ut doceatis, quid, cur, damnaueritis.

Et ut finiam aliquando, in uno atq; altero loco uisum est  
ostendere quae inscitia sacrarū rerū, quae impietas sit Sorbonae.  
Nā inde facile reliqua aestimari poterūt. Lutherus sic de libero  
arbitrio scripsit, Non posse illud citra gratiā aliud quā peccare.  
Nota res est & plana si scripturā cōsideres. Sic. n. ait Apostolus

Paulus, Adfect<sup>9</sup> carnis inimicitia ē aduersus deū. Legi. n. dei nō est subditus, neq. n. subdi potest. Qui in carne sunt, deo placere nō possunt. Et Io. i. Qui nō ex sanguinib<sup>9</sup>, neq. ex uolūtate carnis, neq. ex uolūtate uiri, sed ex deo nati sunt. & scripturā secut<sup>9</sup> Aug. idē agit aduersus Pelagianos, hoc est, Sorbonicos Sophistas, nō uno loco. Hic Sorba ista dissimulant scripturā, & Augustinū excusant Sorbonico cōmento, in quo solo deprehendes cæcitatē Sorbonicā. Quod si unquā dubitatū est in quo genere literarū aut artiū uersaret Lutetia, id nunc declaret hic locus, in quo palā adparet, in tota ista Sorbonica facultate neminē esse, qui Augustinū attigerit. In ipsa scriptura qd possint facile æstimari potest, quādo ne Augustinū quidē uulgare alio qui inter theologos scriptorē uiderint. O theologos, o Sorbonā. Augustinus, inquit, cū de gratia disputat, nō posse liberū arbitriū bene operari citra gratiā, non de gratū faciente gratia loquitur. Cæcitas cæcitarum & omnia cæcitas.

De qua tandē gratia uir ille differit? cū toties in uocabulo gratiæ uariasse Pelagiū scribit, testat se exigere gratiā iustificante, seu spiritū sanctū diffusum in corda iusticatorū. Dona naturæ palā reiicit, speciale auxiliū Sorbonicū ignorat, qui potest igif nō de gratia iustificante loqui? Et ut rē ipsam æstimemus, quæso uos Sorba Sorbonica, unde gratiā gratū faciente nominastis? an nō inde, q. sola deo conciliet. quod cū ita sit, cur sine gratia gratū faciente deo aliquid acceptū esse fingitis. Pugnant inter se uerba, & dogmata uestra. Nomen gratū facientis gratiæ recipitis, uim uocabuli nō recipitis. Sed uideamus in quā partē usus sit Augustinus nomine gratiæ. Possē eius totū librū de spiritu & litera adscribere, quādo nulla pagina est in qua nō fiat gratiæ mentio. Sed hæc sunt eius uerba in cap. iiii. de spiritu & litera. Sed ubi sanctus nō adiuuat spiritus, inspirās pro cōcupiscētia mala, concupiscētiā bonā, hoc est, caritatē diffundens in cordibus nostris, profecto lex illa, Nō concupisces, quāuis bona, auget prohibēdo desiderū malū. Hic de qua gratia loquit cū palā dicat, nō posse nisi peccari sine gratia. Nōne uocat gratiā, caritatē spiritus sancti diffusam in corda nostra. Et uos Sor-

bonici quid aliud uocatis gratiã, quã caritatẽ? Sinite quãso im-  
petrari a uobis ut Augustinũ nõ dico relegatis, sed inspiciatis  
tantũ. Nã errorẽ uestrũ nulla pagina est, quã nõ coarguat. In ca-  
pite nono de gratia loquentẽ inducit Apostolũ, cũ ait, Iusticia  
dei per fidẽ Iesu Christi, in oẽs qui credunt. Hęc ad gratuita do-  
na naturæ, aut ad speciale auxiliũ detorqueri possunt. O uos ru-  
des & uere Sorbonici Magistri nr̃i, q̃s deinceps credet uobis uel  
oculos, uel mentẽ, uel cerebrũ esse, q̃ in tã clara luce, tam nihil  
obscure cæcucitis & hallucinamini. Ego hic per gratias nihil sic  
miror, atq̃ in tota ista sorbonica facultate neminẽ fuisse, cui Au-  
gustini sentẽtia cõperta fuerit, & uel hoc argumento est, ab uno  
atq̃ altero sophista editũ libellũ nomine facultatis eumentito.

Nec maiore fide de Ambrosii sententia iudicant Gallica ista  
Sorba, cũ cõstet in tota disputatione hoc agere auctore libelli,  
quisq̃s est, de uocatione gentiũ, peccata esse, quæ citra gratiam  
fiunt. Et declarans de qua gratia loquat̃, inter alia testimonia  
hoc quoq̃ p̃ducit, qd̃ & in epistola ad Hebreos ex Hieremia ci-  
ratũ est. Dabo leges meas in uisceribus eorũ, & in corde eorum  
scribã eã, quæ tantũ abest, ut uel ad speciale auxiliũ Sorbonicũ  
uel ad dona gratuita detorqueri possit, ut gratiã per Christum  
donatã, quã uos gratum facientem uocatis, uix alius scripturæ  
locus accomodatius describat.

Num adhuc obscurũ est & quomodo citarit Augustinũ ac  
Ambrosiũ Lutherus, & qd̃ Sorbona sapiat, quã hic animaduer-  
timus tã crassẽ errare, ut ne crassius unquã Louanieñ. aut Colo-  
niẽses ineptierint. O infœlicẽ Galliã cui tales contigere censores  
sacrarumq̃ rerum arbitri, digniores qui cloacas agant, quam  
qui sacras literas tractent.

Ex hac sentẽtia de libero arbitrio, cõsequũtur q̃ de cõtritione  
adeoq̃ in uniuersum de pœnitẽtia scripsit Lutherus. Et o mise-  
ros nos qui iã a quadringẽtis fere annis neminẽ habuim⁹ in ec-  
clesia scriptore, qui rectã ac ppriã pœnitentiæ formã pdidisset.  
Impositũ est aliis per fictitias cõtritiones, aliorũ cõscientiæ sunt  
excarnificatæ per satisfactiões. Nunc tandẽ dei misericordia re-  
spexit nos, reuelauitq̃ Euangeliũ populo suo, & erexit cõscien-  
tias eorũ quos uocauit. Si quæris qd̃ cõtulerit ecclesiæ Luther⁹,



habes hic summā rei, uerā pœnitentiæ rationē docuit, usum itē sacramentorū ostendit, qua in re testes multorū cōscientias habeo. Nō uolo autē hic de pœnitentiæ formis aut sacramētis disputare, quādo sorba ista damnarūt tantū Lutherū, nō etiā uicerunt ratiōe, uel scriptura. Statq; ueritas Lutheranae doctrinae incōcussa & immobilis nō modo aduersus Sorba ista, sed etiā aduersus rectores tenebrarū. Vbi oppugnabūt scripturæ sententiis, ea quæ docuit Lutherus, nihil cōtabimur tueri. Nam hanc Lutheri doctrinā de pœnitentiā, nec ex meo, nec fideiū ullorū corde extorq̄bit ulla uis inferorū, nedū sorbonica, aut papistica.

De lege & cōciliis qd attinet iterū monere, cū supra ostenderim plane hac parte cōuenire Luthero cū ueteribus. Tamē ut uideas quā fortiter dispēsēt de lege diuina sorbonici sophistæ, libuit ad eū locū ueluti postliminio redire. Lex aiūt de nō uindictādo est nimīū oneratiua legis Chrianae. O impios sophistas, q̄ onus legis ab Aristotelica philosophia æstimāt. An nō onus est naturæ, lex de nō cōcupiscēdo, est igif abrogāda scđm sorbonicos sophistas. Oneri lex est, de diligēdo solo deo, est igif abroganda. O insanos, o impios homīes, ad uos pertinet qd dictū est. Qui soluerit unū de minimis mādatīs, minimus erit in regno cœlorū. Et cur nō idē cogitabatis cū de satisfactiōibus præciperetis, Num illæ nō sunt oneri adflictæ per sese cōscientiæ sed & noua onera cōminiscimini, & ea q̄ diuinitus imposita sunt abrogatis. Sic decet uos implere ppheticas scripturas, Cōfirmare impiū & contristare cor iusti. Atq; ut omissis multis breuiter doceā exigi ne uindicem⁹, nō cōsuli, Locus est apertus in. i. ad Cor. cap. vi. Iā quidē oīno delictū est, q̄ iudicia inter uos habetis. Quod si delictū est repetere rem iudicio, nō dubiū est quin exigat lex, ne uindicemus.

Hæc monere te Christiane lector uolui, ne a Lutherana doctrina absterreret sorbonæ auctoritas, q̄ qd sapiat, ex uno atq; altero loco hic cognosti. Et ex his quos adnotauimus, reliqua æstimabis. Est. n. sui siſis sorbona, Christum inter fabros citius quā in isto genere reperias. Tuū est interim una mecū postulare Lutetiā rationē sui iudicii, quā ubi ediderit, de nostris nos quoq; copiosius differemus. VALE. Vuittembergæ.

Q 179 3460


(X2206662)

n. c.









B.I.G.

Farbkarte #13

Vg  
3460

# TERMI

THEOLOGICAE FA

TATIS PARISIEN.

PER DOCTRINA

VTHERIANA

hactenus per eam  
visa.

GIA PRO LVTHERO

us Decretū Parisiensium

TTEMBERGAE.

N. M. D. XXI

BIBLIOTHECA  
MONICA VIANA

UNIVERSITÄT-BIBLIOTHEK  
HALLE (SALE)